



que in florenti corpore ostendit dotes, que naturam superant, qua ejus imperfectione non fuit prohibita a virtutis perfectione. Qui rursus mox immaculatam animam Mariæ dicit. Et apud S. Brigittam lib. 1. c. 51. ita Filius Matrem affatur: Angeli pulchritudinem animam tuam vident esse super omnia, que creata sunt. Et Gabriel Archangelus in Apoc. Amadæi, Raptu 4. postquam Mariani corporis pulchritudinem descripsit, addit: Tunc Dominus noster magnus & potens creavit animam perfectam. Cum eximia igitur gratiæ suavitate virginis animus creatus est.

S. Brigit.

Amadæus.

Apis pugnacissima pugnacissimus Dei Filius pro Matris gloria. Aristot.

Virgil.

Genes. 3.

S. Ambr.

Prov. 6. 8.

Id. 7. opus Dei singulari.

S. August. S. Bonav. S. Damian.

Annunt. Opus solum Incarnationis Filii Dei. S. Ildephon. lib. de Virg. c. 2. Opus specialissimum divini opificis. Idiota doctus, c. 4. Idiota. Contempl. Opus ne suum apis mundissima dulcissimaque communi peccati labe & amaritudine imbutum fellea condidisset? Disce quomodo operaria fuit, quam intenta suo huic specialissimo operi. Disce quomodo argumentosa (sic alii legunt) exuterit, id est, pugnax, ut & hostes debellaret, & opus propugnaret suum. Disce quomodo operationem suam venerabilem fecerit; id est, veneratione dignissimam; ut quæ tota celestis, divina, miraculosa: nam ex omnibus generationibus (uti loquitur S. Greg. Thaumaturg. ser. de Annunc.) hæc sola Virgo sancta corpore, & spiritu genita. Disce quomodo opus suum castum elaboraverit, id est, mundum, purum, purissimum; castum corpore & mente, ab omni profus peccati corruptione semper immune. Ita enim omnino decuit, ut hoc Dei specialissimum opus omnibus esset salubre, & tot humani generis morbis succurreret.

Antichristi inter Evam felleam, & mellitam Deiparam.

S. Bern.

S. Petrus Dam.

2203 Quartò, Apis pugnacissima est, & ejus exercitatio militia solet appellari. Quò spectat Martius ille aris ranci clamor, & cecinit Virgilius, & notavit Ambrosius lib. 6. Hexam. cap. 21. Strenuè pugnat mellificium suum propugnans adversus fucos, vespas, & alia id genus animalia: hostes, quos vicerint, enecant, Auctore Aristot. lib. 9. de Hist. animal. c. 40. imò usque ad mortis dispendium pugnant; Pulchramque petunt per vulnera mortem, aiebat Maro. Quorsum hæc? Certè pugnacissimus Dei Filius, futurus Mariæ proles, ut ipsa in Annæ utero purissima, ac dulcissima concipiatur, in aciem egreditur florentissimo caelestis militiae miliario stipatus, suum ut tueatur mellificium adversus Tartareos hostes, & felleam primigeniæ culpæ amaritudinem. Jam inde terrorem hostibus incutit, bellum gerit, prostermit, vincit, & triumphat. Belli signum, a multis retro sæculis dederat præclarissimo illo vaticinio, quasi clarissima tuba: Inimicitias ponam inter te & mulierem, seminum, & semen illius: ipsa, Hebraicè, ipse conteret caput tuum. Legas ex originali: Inimicitias præmunitiam, stipabo, vallabo, propugnabo. q. d. Tuam illam, infelix Draco, inimicam Virginem ego, egomet circumquaque præmunitiam, undique semper stipabo. Ego simul cum illa in arenam descendam, ego pro illa manum conferam, egomet ipse tecum depugnabo: mecum tibi futura res mellificium meum, Matrem meam propugnante, usque ad sanguinis mei effusionem, usque ad crucis necem: pulchram ponam per vulnera mortem, ut mellea tota, vel à sua prima formatione, evadat Deipara mea. Ut enim Ambròsius lib. 2. in Lucam: Dominus redempturus mundum, redemptionem suam inchoavit à Matre.

2204 In sapientissimam hanc apiculam, ejusque mellificium, in Christum nempe & Deiparam, bellissimè cadunt Salomonis verba Prov. 6. 8. Vade ad apem, & disce quomodo operaria est; operationem quoque quam venerabilem facit: cuius labores Reges, & idiota ad sanitatem afferunt. O tu quisquis es, qui de originalia Mariæ puritate, ac dulcedine minus pie sentis, vade ad Apem, & considera, quam sit mellito suo operi intenta, quo modo illud conficiat & propugnet. Considera, quòd, mundissima ea cum extet, opus suum castum, mundum, purum mundissimè elaborat, ut salubre omnibus sit. Disce hinc, vel ipsa Apiculæ te doceant, qualiter æternus Artifex opus per excellentiam suam fabricaverit. Sic Mariam vocant Ecclesiæ Patres, Æterni consilii opus. S. August. serm. de Annunciatione, Opus excellenti, S. Bonav. in Speculo c. 7. Opus excellentissimum digitorum Dei, S. Petrus Dam. ser. de

S. III.

Omnia gratiæ dona, Mariæ esse dicuntur; quia Christum mellitum favum sibi, nobisque elaboravit, uti apis semper immaculata.

2206 Ed enimverò, ex prænotatis in enodatione textus, spiritus hic pro sanctificante gratia & donis ei adsociatis accipiendus est; uti etiam Hereditas pro æternæ gloriæ præmio. Ut his bonis adimpleamur, fatiemur, & locupletemur, nos & universos ardentè invitatur, ut supra probavimus. Et ut omnes aliat & stimulet Virgo nostræ salutis cupidissima, gratiæ dona sua compellat, suamque beatitudinis gloriam; illa melle dulciora, hanc mellito favo suaviorem. Et sua hæc omnia bona sunt, quia in ejus potestate & arbitrio sunt, & non nisi ab illa ac per illam donantur: & præ melle mellitoque favo dulciora sunt, quia à dulcissima Virgine Dei Matre ac mellificio ad nos dimanant. Deiparæ quidem dona sunt. Et cur non, cum ad ejus dotem & arrhas spectent? Ut enim S. Ildephon. serm. 2. de Assumpt. Arrham accepit Sponsa Christi, in dotis titulo Spiritum sanctum. Et S. Chrysol. serm. 140. de Gabriele Mariam salutante: Dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam, fidem refert. Et S. Epiph. serm. de laud. Virg. Donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit, dotis vero gratia celum, & paradisum. Mariæ hæc omnia bona sunt. non ut ea sibi retineat, sed ut largâ manu omnibus distribuat. & universi ex illis dententur. Sic nostris affectibus suaviter indulcescit.

S. Ildeph.

S. Chryl.

S. Epiph.

Apis Deipara.

S. Aldhel.

Deborâ apis.

Ecl. 11. 3.

In ape virginitas & fecunditas.

2207 Cæterum alio titulo non longè diverso à præcedenti, omnia gratiæ & gloriæ dona, ad Deiparam spectant, sua sunt, & dulciora super mel, & favum; nimirum quia vera Christi Mater est, qui causa nostræ salutis præcipua extat, atque adeò totius gratiæ & gloriæ perennis fons & origo. Quod ut explicem, & illustrem, statuo: Mariam in opere Incarnationis ad instar mundissima Apis fuisse: Christum verò Dominum quasi dulcissimum mellis favum ab ipsa studiosissimè elaboratum, ut ex illo in nos omnis gratiæ & gloriæ dulcedo profunderet. Sic quasi pari sibi referunt Christus & Deipara: nam hæc in sua prima efformatione instar melliti favi extitit à Christo fabricati, ut jam probavimus. Atque in primis, Apem (quæ Virgo & Mater est) aptissimum esse Mariæ Virginis & Matris hieroglyphicum, multi jure arbitrantur. Lactantius lib. 1. cap. 8. S. Cyprianus, seu Rufinus in Exposit. Symboli, S. Bonaven. in Speculo cap. 15. S. Augustin. in Benedict. cerei Paschalis, S. Aldhelmus Episcopus. Saxonum in Epist. de laud. Virg. cap. 2. Apis propter peculiaris castimonie privilegium pudicissimæ Virginis typus. Hinc in Debora præsignatam Mariam fuisse, vulgare est. Debora autem apud Hebræos Apem significat. Hinc etiam ad Deiparam transfert Bonaventura illud nostri Siracidis cap. 11. v. 3. Brevis in volatilibus Apis, & initium dulcoris habet fructus illius.

2208 In Ape virginitatem cum fecunditate agnoscunt sacri, & profani Scriptorum. Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 21. & lib. 1. de P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Virginibus, Augustin. lib. 15. de civit. Dei cap. 27. Latinus Vates 4. Georgic. ubi legendus nosler Cerda. In Deipara summam virginitatem summo adjunctam fecunditati videre, & revereri est. Si Apes nullo miscentur concubitu, si venerem nesciunt, si ærum-nosos ignorant partus, qui nam igitur generantur? qualis origo? quæ conceptionis ratio? Virgilius canit:

Verum ipsæ foliis natos, & suavis herbis Virgil. ore legunt. Cui consonat Ambrosius: Ex foliis, ex herbis, ore suo prolem suam legentes. Similiter Aristot. lib. 5. Histor. Anima. c. 21. & cap. 22. Columella lib. 9. c. 14. Idoneos ad fetum decerpunt flores, atque intra tecta comportant. Plinius lib. 11. cap. 16. ubi de apum generatione. Plures existimare oportere confici floribus compositis apte, atque utiliter. &c. Gallinarum more incubant. Id quod exclusum est, primum vermiculus videtur, candidus jacens transversus, adhaerensque, ita ut pascere videatur. Sed de Apu Rege seu Regina subdit continenter: Rex statim mellei coloris, ut electo flore ex omni copia factus, neque vermiculus, sed statim penniger. Addit hunc Apicularum Regem commendans à sua prima generatione coronâ insignitum: In fronte macula quodam diademate candicans multo etiam nitore à vulgo differunt. Cui consentit S. Basilus Homil. 8. Hexame. A natura principatum omnium obtinet antecedens reliquis magnitudine, forma, suavitate morum. Et S. Ambros. relatus: Apibus Rex naturæ clarus formatur insignibus, & magnitudine corporis præstat, & specie.

Rex, sive Regina apum, à sua prima generatione coronatus. Floridus.

S. Basil.

S. Ambr.

2209 Totâ hæc apis procreatio florida, atque adeò odoratissima conceptio, maximè Regi-næ (quid enim Regem dixerim, cum inter apes nec in populari, neque in Regio genere nemo nascatur vir, omnes femellæ?) in Matrem Virginem Mariam, ejusque purissimam Conceptionem signatissimè cadit. Non illa lutea, non putida, non instar cæterarum communi corruptione fætida, sed omnino florida, jucunda, & eximia gratiæ suavitate prædita. Imò neque aliis apibus communem nata est Maria procreationem, sed Angelicis creationibus longè certè superiorem: quas si Deiparæ conditioni componas, candidulos fortè vermiculos dixeris: Maria, utpote Apum Regina, electissimo flore ex omni gratiæ copia facta; non vermis, sed statim pennigera, atque imperatorio more diademate ab ipsa fulgens origine, utpote ad immunitatem orta. Plura hic Patrum testimonia ad hæc illustranda dare possem: Unum dumtaxat audias Hugonem Victorinum lib. 3. Miscellanearum Eruditionum cap. 125. Hodie, inquit, Domina nostra insigni circumdata coronâ, ostendit Angelicæ dignitati suæ celsitudinis privilegia, in quibus totius paradisi gloria-tur curia. Primum privilegium est, quòd sine forde & sine viro concepit; in hoc enim immunem se in conceptu ostendit ab illo præscripto Prophetico: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepti me mater mea. Tam disertè Victorinus ille à Regio Deiparæ diademate, ejusdem absolutam immunitatem commendavit. Vide dicta à nobis 2. p. hujus operis, Sect. 13. §. 2. ad illa verba Psalm. 44. Astuit Regina à prima creatione in Pl. 44. diademate auro.

Omnia ad Mariæ spectant immunitatem, & gloriam.

Hugo Victor.

2210 Apum Reginam omnino aculei expertem multi asserunt. Plinius lib. 11. c. 17. Rex apum expertus.